





146

DISSERTATIO IN AVGVRALIS IVRIDICA  
DE  
**RESTITUTIONE IN INTEGRVM**  
**EX CLAVSULA PRAETORIS GENERALI VLTRA**  
**CASVS ABSENTIAE NON EXTENDENDA**


S E C T . II.


QVAM  
SVMMI NVMINIS AVSPICIIS  
ACADEMIAE FRIDERICO-ALEXANDRINAЕ  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPЕ AC DOMINO  
DOMINO  
**CHRISTIANO FRIDERICO**  
**CAROLO ALEXANDRO**  
MARGGRAVIO BRANDENBURGICO BORVSSIAE  
SILESIAEQUE DVCE REL. BVRGGRAVIO NORIMBERGENSI  
VTRIVSQVE PRINCIPATVS REL. REL.

A V C T O R I T A T E  
ILLVSTRIS IVRECONSVLTORVM ORDINIS  
PRO  
**FACVLTATE ZEGENDI**  
DEFENDET  
**JOANNES PHILIPPVS FRANCK**  
I. V. D.  
RESPONDENTE  
**HENR. CHRISTOPH. BÜTTNERO**  
ONOLDINO.

D. SEPT. M D C C LXXXV.

ERLANGAE  
STANNO ELLRODTIANO.





## Sect. II.

Quae argumenta, ex legibus, ex indole officii praetoris,  
et ex fine restitutionis, pro stabilienda clausulae re-  
strictione desumpta exhibet.

### §. XIII.

#### Prooemium.

Quae in priori sectione dissertationis meae exhibui ar-  
gumenta, sufficere forte possint ad probandam meam  
sententiam de clausula Praetoris ultra casus absen-  
tiae non extendenda, cum in his ipse sensus clausulae ge-  
ninus ex ipsius edicti tenore et ex interpretatione legali  
abunde fuerit demonstratus. Ut vero nihil plane, quod  
adferri posset, relinquam intactum, haud superfluum iudi-  
cavi, in hac altera dissertationis parte, etiam ea argumenta  
supplementi instar proferre, quae quidem non proxime clau-  
sulam eiusque interpretationem concernunt, attamen ad  
eius opinionisque meae illustrationem conferunt; dum sci-



licet haud difficulti negotio probari poterit, quod ex aliis legum dispositionibus, ex ipso Praetoris edicendi et in iure statuendi facultate, et ex natura restitutionis in integrum nulla alia nisi stricta clausulae praetoriae indoles colligi possit: quo magis vero hoc illustretur, priorem argumentorum seriem ordine haud interrupto continuabo.

#### §. XIV.

#### *Argumentum III. Ex Contextu totius Tituli ex quib. caus. mai.*

Haud leue prioribus in sectione antecedente prolatis accedit III. argumentum, si ipsum titulum D ex quib. caus. maiores etc. examinemus, et ad leges in eo occurrentes vna cum casibus relatis accurate attendamus. Postquam enim in prima lege propositum est Edictum, leges ipsae in longa serie subsequentes casus ipsos, in quibus clausula generalis applicationem inueniat vel non, referunt deciduntque, et ipsi horum textuum auctores folicite occupati sunt, in secernendis iustis et legitimis restitutionis causis. Praesertim vero non solum quoad causas absentiae in edito relatas proferuntur limitationes et determinationes absentiae propter reipublicae commodum, propter vincula etc. sed et simul alii casus absentiae, qui praeter nominatas causas contingere possunt e. gr. studiorum causa etc. memorantur et definiuntur a). Quam longa autem sit series harum legalium functionum, tamen in iis nulli alii nisi absentiae casus relativi deprehenduntur, et nullibi occurrit vel unicus casus, qui ad

a) *Conf. ea, quae de his legibus retuli in not. f. ad §. II.*

ad aliud impedimentum, quod praeter absentiam alicui forte obstat, respiceret b). Atque iam hoc respectu prius argumentum in §. XII. prolatum repeti potest, quod scilicet I<sup>c</sup>t<sup>i</sup> Romani profecto non omisissent, etiam alios casus referre, in quibus praeter absentiam restitutioni in integrum locus fuisset, si ex mente praetoriae clausulae id licuisset; et adeo debuissent I<sup>c</sup>t<sup>i</sup> ad minimum vnicum talium casuum referre, cum eorum opera in explicanda et illustranda hac clausula fuit versata. Sine dubio quoque non deesse potuit copia talium casuum, cum in tanta imperii magnitudine plures occurrere debuerunt lites, in quibus restitutio in integr. ex clausula generali petita fuit; et quoque eo magis, si id vero sensu clausulae consentaneum fuisset, expectari potuisset relatio talis, cum in aliis restitutionis causis I<sup>c</sup>t<sup>i</sup> liberales admodum sint in memorandis pluribus casibus, quod e. gr. patet ex titulo D. de minoribus, in quo multitudo casuum ad hanc restitutionis speciem spectantium, occurrit; vbi simul id perpendendum, quod restitutio haec minorum non tam amplam specierum occurrentium materiam praebeat, qualem quoad maiorum restitutio adsumere licet. Corroboratione haec etiam ex ipsa L. 2. d. t. quae ipsum editum sequitur, vbi CALLISTRATVS dicit: non adeo magnum esse huius editi usum, quae declaratio certe non aliter sumi potest, nisi quod clausula c) ultra absentiae

F. 3. causam

b) Eodem arguento, sed breuissimis, vtitur III. BIENER in dist. tit. C. 5. p. 25.

c) Non obstat haec CALLISTRATI declaratio iis, quae in §. 12. de VLFIANO protuli, qui de frequentia casum loquitur; utrumque enim

40

causam non sit extentenda. Profecto enim usus huius clausulae, si ea ad alia omnia iusta impedimenta potuisset applicari, maximus et amplissimus fuisset praedicandus.

### §. XV.

#### *Dubia quaedam soluuntur.*

Vt vero etiam quoad hoc argumentum nihil relinquam intactum, ad objectiones nonnullas respondendum est, quae ex ipso hoc titulo moueri possunt, et argumentationi meae obesse grauiter videntur.

I. Dubium haud leue procreant leges nonnullae in hoc titulo occurrentes, quae tum in genere de impedimentis quibuscumque loqui, tum adeo ipsos casus, ad alias quam absentiae causas se referentes, aperte commemorare videntur. Spectant huc praecipue I. 16. d. t. in qua PAVLVS de necessitate rerum impeditis generaliter loquitur:

„Non enim negligentibus, ait, subuenitur sed necessitate rerum impeditis. Totumque istud arbitrio Praetoris temperabitur: id est, ut ita demum restituat, si non negligentia, sed temporis angustia non potuerunt litem contestari. „

Quo

enim cohaeret, scilicet quod casus absentium necessitate aliqua detentorum frequentes esse possint, applicatio editi vero quoad eos casus, qui in edito continentur, quatenus horum extensio non habet locum, minus in usu frequentetur. Ipse quoque CALLISTRATVS in legg. seq. 4. o. II. 14. d. t. quae ex eius *Editi monitorii libro secundo* de promptas sunt, nullos alios nisi absentiae casus adserit, eosque illustrat. Atque hoc argumentum, quod supra de VLPIANO et PAVLO adduxi, eo magis confirmat, cum CALLISTRATVS eodem cum his iureconsultis tempore vixit et scripsit.

Quo suo sermone omnia adeo impedimenta necessaria, quorum praeter absentiam plura concipi possunt, indigitare videtur d.). Nihilominus vero credo, PAVLVM eodem modo explicandum esse, quo exposui in §. XII. VLPIANI sententiam; quod scilicet non solum absentes reipublicae causa, sed etiam absentes ex qua alia iusta et necessaria causa significantur, hinc verba illa intelligenda sint *de absentibus necessitate rerum impeditis*. Praeter ea argumenta enim, quae in superioribus subministravi, id quoque in considerationem trahendum est, quod in omnibus reliquis locis, quae de PAVLO in Titulo nostro adferuntur, scilicet in l. 18. 22. 24. 30. 35. 37. 44. nulli alii, nisi absentiae casus referantur. At forte obiici possint, quae in cit. l. 30. §. I. occurrunt, verba:

*„Si is qui reipublicae causae absuit, usuccepit, et post usucaptionem alienauerit rem, restitutio facienda erit, et licet sine dolo absuerit, et usuceperit, lucro eius occurri oportet. Item ex reliquis omnibus causis restitutio facienda erit: veluti si aduersus eum pronunciatum sit.“*

Vbi clausula haec finalis iisdem fere, quibus clausula generalis VLPIANI in prioribus examinata premitur, dubiis inuoluitur. Quamuis vero haec PAVLI verba non solum generalem restitutionis adlicationem praeter absentiae casus indicare, et simul casum ipsum, scilicet restitutionem

d) Dubium hoc praeципue mouent BRUCKNER in cit. diff. §. 7. p. 12. ERVANNEMANN in Comm. ad Pand. et ad h. l. qui similiter ex hac lege cum aliis, restitutionem ad casum laesioris ob neglecta fatalia adPLICANDAM et arbitrio iudicis mero relinquendam esse, probare studet.

42

tionem aduersus sententiam, sine respectu siue de absentis siue praesentis causa sermo sit, offerre videantur e); equidem tamen persuasus sum, omnia iterum hue applicanda esse, quae supra iam ad declarandam clausulam ipsam et mentem **VLPIANI** demonstravi, et verba generalia: *ex reliquis omnibus exponenda esse ex priori contextu, in quo PAVLVS vnice de absentia locutus est, inde sumenda esse, ac si PAVLVS dixisset: ex reliquis omnibus absentiae causis.* Ultima quoque verba: *aduersus eum pronuntiatum sit, clare demonstrant, PAVLVM loqui de ipso exemplo prius a se allato, et sensum eius alium non esse, nisi hunc: quod restitutio in integr. locum habeat non solum contra absentem reipublicae causa, qui usuciperit et post usucacionem alienauerit, sed etiam tum, si aduersus eum scilicet absentem talem pronuntiatum fuerit f).* Facile enim potuit fieri, ut tali

e) Etiam hanc obiectiōnē aduersarii formant, et praesertim multi eorum ex hac lege argumentum deducunt pro admittenda restitutio in integrum contra sententiam laudentem. **WAHL** in progr. supr. cit. p. 12. **MEIER CRVSTIANVS** in diff. de restit. in integr. contra rem iudicatam. **Tub. 1714.**

f) Quoad hanc interpretationem consentientem habeo summum **CIVICVM**, cuius ipsa verba transcribere, cum argumentum meum maxime illustrant, superfluum non erit. Habet enim is in Comm. ad l. 30. cir. sequentia: „*Obſcurissimum nec ab Accurſio intellectum hunc locum reddam facillimum, aduersus absentem scilicet ex reliquis omnibus causis, id eſt, non ſolum ſi absens rem praesentis uſuciperit, de qua cauſa egit ſupra, ſed etiam ex reliquis cauſis, puta ſi quid per absentiam eius alter non utendo amiferit; vel ſi dies actionis, quae aduersus absentem compebat, exierit, cum abſens non defendetur, et restitutio facienda erit in rem, ut puta ſi restitutio petita aduersus absentem, poſt redditum ab-*

tali in casu is, qui restitutionem obtinuit, licet aduersarius condemnatus fuerit, suum recipere non posset, si forte soluendo non esset condemnatus, quo casu deinceps restitutio danda esset in rem ipsam g).

## §. XVI.

*absens condemnatus fuerit, et soluendo non sit, hoc est supplendum, tum aduersus possessorem rei restitutione facienda erit.* „ Et idem ille in *Observ. et emendat.* Lib. XXII. cap. 18. hanc rem iterum tractat, et illustrat hunc in modum: „*Non tantum, si quis alienum absens reipublicae causa usurperit, qua de causa restitutionis P A V L V S dixerat ante, sed etiam si per absentiam eius usumfructum aut seruitutem alter non utendo amiserit, vel si dies actionis, quae aduersus absentem competebat, exierit, cum non defendetur, quae causae sunt expressae in Edicto, aduersus ea, quae absens gestit, restitutionem faciendam esse, non in personam tantum, sed et quandoque in rem, veluti si restitutione petita aduersus absentem condemnatus fuerit, et soluendo non sit, vel etiam si dubitetur an soluendo sit, aduersus emtorem sive possessorem rei restitutionem esse faciendam, idque multo tutius esse actori, quam si cum eo experiatur, et agat in personam, qui rem non possidet, quia minus est actionem habere quam rem, ut et Pomponius XXVII. ad Q. M V T I V M scripsit, tractans de restitutione danda in rem potius quam in personam, quod etiam confirmat l. 6. D. quod falso tut. aut. „ Conf. quoque G O D O F R E D V S in notis ad suam edit. Corp. Iur. ad l. cit. not. 12. et B R V N N E M A N N in Comm. ad h. l. §. I.*

g) Aliud forte adhuc recensendum foret dubium, quod ex 1. 26. §. 7. cit. h. t. defini posset, vbi de feriis indittis et laeso inde actore sermo est. At ne prolixus sim et saepius dicta repetam, paucissimis addo, etiam hac in parte sermonem esse de absente, et in specie de tali, qui forte praesens per aliquantum temporis fuit, quo vero propter ferias indittas agere non potuit. Totus enim legis contextus monstrat, solum de absentibus sermonem esse. Plura videantur apud C V I A C I V M Observ. et Emendat. Lib. XIX. Cap. 15.

G




 §. XVI.

*Vlterior dubiorum solutio.*

II. Alterum quod vulgo opponi solet dubium, quaerunt Doctores in ipsa inscriptione tituli nostri, *ex quib. caus. mai. XXV. annis in integr. restituuntur*. Dicunt enim, ex eo, quod titulus generaliter plane exprimat restitutionem majorum, colligendum esse, eum non soli restitutioni ex capite absentiae, sed omni restitutioni ex alia causa destinatum fuisse, et alias Collectores pandectarum, si hanc mentem non habuissent, tituli inscriptionem magis specialem formassent, et forte posuissent, *ex quibus causis absentiae cet. vel de restitu-*  
*tione majorum ex capite absentiae b)*. Haud leue reprehenditur hoc dubium, si perpendatur, quod saepius in interpretandis quibusdam legum nostrarum materiis illustratio et conclusio ex inscriptione tituli sumi possit, et fortius adeo fieri videtur dubium ex eo, quod non solum reliqui de restitutione in integr. concepti tituli specialem inscriptionem prae se ferant, et causam ipsam, sc. quod metus *causa*, de minoribus, de *dolo malo* etc. exprimant, sed et adeo in Codice repetitae praelectionis L. II. T. 54. haec generalis inscriptio iterum retenta fuerit. Quanta vero habeatur haec obiectio, tamen eam inter omnia argumenta contraria levissimam esse, et absque magno negotio tollendam iudico. Constat enim, argumentum ex inscriptione tituli duictum,

fin

b) BRUCKNER in cit. diss. §. 7. p. 13.

i) Vid. ECKHARD in Herm. Iur. ex edit. ill. WALCHII Lib. I. Cap. 5. §. 162. 165. p. 320, seq. IOH. LYD. CONRADI Obseru. Iur. Ciui. Vol. I. §. 19. p. 153.

si et nonnunquam ad illustrationem aliquid adferat, non  
 tamen semper tutum et firmum esse, sed econtrario fallere  
 posse, praesertim si nulla alia concurrente adminicula. Et  
 enim in Pandectis inueniuntur passim titulorum inscriptio-  
 nes, quae omnibus in titulo ipso comprehensis parum ac-  
 curate respondent, et contenta non exhaustiunt, dum mox  
 aliae nimis speciales sint, cum materia in titulo tractata sit  
 amplior, mox vero aliae nimis generales, quae tamen so-  
 lum speciale doctrinae alicuius tractationem continent.  
 Quoad inscriptiones speciales exemplum nobis praebet ipsa  
 quaedam restitutionis in integrum causa sc. *restitutione ob iustum*  
*errorem*, quae, licet sine dubio generalis sit, et ita propo-  
 natur, tamen sub tituli admodum speciali inscriptione: *quod*  
*falso tutori auctore gestum esse dicetur* (Lib. XXVII. Tit. 9.)  
 in pandectis relata deprehenditur. Et ut ad alteram nimis  
 generalium inscriptionum classem referamus nostrum titu-  
 lum, eo tutius colligo, quo certius ipsa tituli contenta ma-  
 teria, vti in prioribus demonstratum est, probat, solam de  
 absentia doctrinam tractare titulum; id quod etiam ex iis,  
 quae in Titulo Codicis de restitutione maiorum continen-  
 tur, manifesto appareat. Ceterum equidem censeo, ne qui-  
 dem necessarium fuisse, vt compilatores Pandectarum no-  
 stro titulo specialiorem proposuissent inscriptionem, cum ex  
 connexione eius cum reliquis titulis satis manifestum est,  
 tractari materiam a reliquis differentem, alias enim illi cul-  
 pandi quoque essent, quod titulos *de dolo*, *de metu*, *de capite*  
*minutis*, non specialius designassent, e. gr. *de restitutione mai-*  
*orum ob dolum*, *ob metum*. Namque et de his titulis certo re-  
 spectu, quod nimis generaliter inscripti sint, afferi potest.

§. XVII.

*Legum nonnullarum obstantium inuestigatio.*

Quanquam vero, quod credo, euictum sit, ex ipso titulo *ex quib. cauf. mai.* nihil aliud nisi restrictionem restitutio-  
nis ad solam absentiam concludi posse; tamen aliae adhuc  
ex aliis Pandectarum locis supersunt obiectiones, cum a  
multis leges nonnullae soleant adferri, ex quibus extensior  
clausulae generalis comprobari possit sensus. Potiores ex  
his legibus, ut recensem, simulque dubitationes obmotas  
resoluam, haud abs re erit.

1) *Ex l. 2. D. de restit. in integr. argumentari volunt*  
*quidam, restitucionem in integrum ob quemlibet errorem*  
*iustum alicui concedendam esse, ideoque hunc casum inter*  
*eos, ad quos clausula generalis praeter absentiam accom-  
modari possit, referunt k).* Quamvis vero verba huius  
legis

„Sive per status mutationem, aut iustum errorem.„  
plane

k) HELLFEED in Iurispr. for. Sec. ord. dig. §. 472. LAVTER-  
BACH in Coll. Th. pr. L. IV. T. VI. §. 17. SCHÄUMBVRG in  
Comp. Dig. L. IV. T. VI. §. 4. WAHL in cit. progr. p. 12. LEYSER  
in med. ad Pand. Sp. 64. med. I. qui eam leg. alleg. simul coniungit  
*l. 3. C. ex quib. cauf. mai.* quae habet: „in contradicibus, qui bona  
fidei sunt, etiam maioribus officio iudicis causa cognita publica iura  
subveniunt.„ At ex hac generali sanctione generalis extensio clausulae  
neutriquam deduci potest, potius haec dispositio ad ipsas restitutionis in  
integr. regulas ciusque limites accommodanda est. Et id etiam menti  
Legislatorum conueniens esse videtur, cum generaliter officium iudicis  
ad causae cognitionem adstringunt, atque simul iurium publicorum re-  
spectum

plane sunt generalia, et ideo dubium specie non careat, tamen eo, ut a sententia mea discedam, plane non moueatur. Occurrit enim haec legalis dispositio in titulo generali de rest. in integr. sequentibus titulis specialibus praefationis instar praemissō, hinc ex his sequentibus explicandus est. Praeterea in hac lege sermo non est de restitutione ob errorem ex clausula generali concedenda, quippe cuius lex nullam plane facit mentionem, cum tamen iusta ratione statui posset, hanc legis sanctionem, si ad clausulam istam referenda fuisset, vel memorasse clausulam, vel relatam fuisse in tit. ex quib. caus. mai. Et ipsa lex necessario in coniunctione cum praecedente lege i. sumenda est, ex qua manifesto apparet, recenseri in vtraque lege causas restitutionis in integr. et intelligendam hinc esse sanctionem de ea restitutione ob iustum errorem, quae tractatur in titulo iam citato *quod falso tutore auctore gestum etc.* 1) hincque nullam

G 3 plane

specum habeant. Aliter hanc legem exponit BRUCKNER in cit. Diff. p. 18 — 20, qui statuit, eam non praeclipe loqui de rescissione negotii, sed de aliis remediis reparandi laesione infra dimidium, actione ex contractu, emendatione iniquitatis, ad quam iudex attendere debeat. Quidquid sit, hoc certum est, legem cit. sententiae nostrae non obstat.

1) Ex ea ratione, quam nonnulli adserunt, quod sc. titulus *quod falso tutore &c.* non in serie titulorum de restitutione in integrum conceptorum occurrat, sed doctrina de tutelis inserta sit, argumentum firmum contra sententiam meam strui nequit. Haec enim huius materiae disiectio non Auctoriis ipsis, a quibus ea in Pandectas mutuata est, sed Compilatoriis Pandectarum adscribenda est, qui hac in re ordinem edicti perpetui deferentes, melius iudicarunt, eam in tractationem de tutelis, locum sibi magis opportunum visum, reponere. Constat enim ex fragmentis et inscriptione



plane relationem ad clausulam generalem menti legis imponi posse, idque eo minus, cum ex VLPIANO et PAVLO vtraque lex desumpta sit, et horum sententia de causis restitutionis, quod supra ostendi, ultra causas nominatas extendi nullatenus possit.

2) Grauius vero obstat videntur aliae quaedam leges passim occurrentes, quas singulas in extenso et coniunctim adducere luet, et quidem l. i. §. 9. D. de itinere actuque priuato verbis:

„Si quis propter inundationem v̄sus non sit itinere actuque hoc anno, cum superiorē v̄sus sit: potest, repetita die hoc interdicto uti per in integrum restitutionem ex illa parte, si qua mihi iusta causa esse videbitur. Sed et si per vim hoc ei contigerit, in integrum restituī oportere, Marcellus probat. Praeterea et aliis casibus interdictum repetita die competit, ex quibus in integrum quis restitutionem impetrare soleat. „

L. 34. §. 1. et l. 35. D. de seru. praed. rustic. quae ita habent:

„Si

scriptionibus VLPIANI ET PAVLI quibus hanc restitutionis speciem assueratam debemus, eos in materia de restitutionib⁹ in integrum etiam hanc materiam haud interrupto ordine tractasse. VLPIANVS nempe in Lib. XI. XII. et XIII. PAVLV⁹ vero in Lib. XI. et XII. ad edictum perpetuum de restitutione in integrum agunt, uterque vero de hac restitutionis specie in L. XII. Accedit quoque argumentum ex fragmentis CAII Lib. IV. ad edictum prouinciale. Ceterum edicto, quo haec restitutio proposita fuit, multa deesse ipse VLPIANVS constiterit in l. i. §. 2. D. quod falſo tute. Conf. HEINECCIVS in Comp. Pand. Lib. XXVII. tit. 6. §. 383. III. BIENER in cit. diff. C. 8. p. 40. sq. WESTENBERG ad Tit. D. quod falſ. tut.

■ ■ ■ ■ ■

„Si fons exaruerit, ex quo ductum aquae habeo, isque post conflituum tempus ad suas vēnas redierit, an aquaeductus amissus erit, quaeritur? Et Atilicinus ait, Caesarem Statilio Tairo rescripte in haec verba: *Hi qui ex fundo Sutrino aquam ducere soliti sunt, adierunt me: proposueruntque aquam, qua per aliquot annos usū sent, ex fonte, qui est in fundo Sutrino, ducere non potuisse, quod fons exaruisset: et postea ex eo fonte aquam fluere coepisse petieruntque a me, ut, quod ius non negligentia aut culpa sua amiserant, sed quia ducere non poterant, bis restitueretur, quorum mibi postulatio cum non iniqua visa sit, succurrendum bis putauit. Itaque quod ius habuerunt (tunc,) cum primum ea aqua peruenire ad eos non potuit, id eis restitui placet.* „

Denique l. 15. §. 5. D. quod vi aut clam.

„Sed si is locus, in quo opus factum est, qui facile non adiretur: utputa in sepulchro vi aut clam factum est, vel in abdito alio loco, sed et si sub terra fieret opus, vel sub aqua, vel cloaca aliquid factum sit: etiam post annum causa cognita competit interdictum de eo quod factum est: nam causa cognita annuam exceptionem remittendam, hoc est, magna et iusta causa ignorantiae interueniente. „

Atque his legum sanctionibus non solum ii vtuntur, et omnem fere vim probandi in iis ponunt, qui extensiuam clausulae interpretationem propugnant *m*), sed et adeo ex iis, qui in meam sententiam sunt prōiores, nonnulli in dubitationem abripiuntur, et aliud refugium nesciunt, nisi statuendo exceptionem his legibus factam esse *n*). Et id profecto

*m*) LEYSER in Med. ad Pand. Sp. 64. med. I.

*n*) HEINECCIVS in Comp. Pand. L. 4. T. 6. p. 522.



fecto mirum non est, cum hae leges non solum de casu praeter absentiam expresse disponere, atque causam necessitatis et iustae ignorantiae admittere videantur, sed et adeo ipsius clausulae eiusque adlicationis mentionem faciant claram. Equidem vero et haec omnia thesin meam neutiquam infringere puto. Ante omnia enim perpendatur, velim, leges has ex libris VLPIANI et PAVLI de promtas, et hinc ex supra dictis de modo, quo uterque Iureconsultus clausulam exposuit, explicandas esse. Praesertim vero quod ad l. 1. §. 9. de itin. aliquaque priuato et ad l. 15. §. 5. quod vi aut clam spectat, repetenda sunt, quae de absentibus vere et feste talibus dicta sunt, et si haec cum contentis harum legum comparentur, largiendum est, VLPIANVM qui in hac utraque lege de eo, qui ius suum exercere prohibetur ex iusta et legitima causa, differit, proprie de absente vel vere vel feste tali locutum esse o). Et hoc, vti opinor, eo magis indubium redditur, si hae leges in suo contextu examinentur; haud sine ratione enim ex dicta l. 1. §. 9. conici potest, VLPIANVM eadem plane in mente habuisse, quae in sua interpretatione clausulae in l. 26. cit. de actione et die exenta proposuit, et idem ex l. 15. §. 5. cit. clarius apparet, cum VLPIANVS in sq. §. 6. continua oratione de absente reipublicae causa et de minoribus loquatur. Postremo vero, quod ad locum PAVLI in L. 34. et 35. cit. spectat, hunc plane non obstare longa argumentatione non eget, cum ex ipsa lege manifestum sit, eam de restitutione in integr. plane non agere, multo minus de restitutione ex clausula generali

o) Eandem sententiam souet III. BIENER in cit. Diff. C. 5. §. 26.

nerali p). Potius PAVLVS refert rescriptum Imperatoris, vi cuius in casu memorato extra ordinem concessa fuit restitutio in integrum; at enim vero, restitutionem extraordinariam imperialem a restitutione praetoria toto coelo differre, infra latius demonstrandi erit occasio. Maiori vero ratione haec ipsa lex tanquam firmissimum argumentum pro tuenda mea sententia adhiberi potest. Si enim tali in casu, de quo lex agit, sc. de laesione sine negligentia laesi orta, impertrari restitutio aliter non potuit, nisi per Imperatorem, apertum adest indicium, praetoriam potestatem eo non potuisse protendi; quodsi enim laesus potuisset sibi consulere implorando auxilium Praetoris ex clausula generali, profecto is hoc fuisset usus, et non opus habuisset, ampliori et difficiliori, per Imperatorem amissa recuperandi, medio.

## §. XVIII.

p) Aliter hanc legem explicat, qui ceterum a mea sententia non est alienus SCHILTER in Praxi for. Exerc. XI. §. 29. vbi dicit: Videri posse hoc casu non dari restitutionem in integr. ex claus. gen. neque tam ipsum ius seu dominium seruitutis amissum videri. quam eius exercitium et actum secundum, sed esse remedium ordinarium affine actioni confessoriae, et quasi quandam *utilem confessorianam*, qua cogi possit adversarius renuntare seruitutem l. 14. D. quemadmodum seru. amitt. Quam speciosa autem sit haec argumentatio, tamen equidem non credo, necesse esse, ut ad eam confugiamus, cum ex ipsa l. cit. demonstratum sit, de restitutione praetoria plane non esse sermonem. Et nobis consentientem quoque habemus TREVTLERVM in Disp. ad Ius Ciui. Iust. Vol. I. Disp. XI. Thes. XVII. quaest. 98. p. 867. Vid. quoque FACHINAEVS in Controu. Iur. ciui. Lib. I. C. 69.

H



## §. XVIII.

## Continuatio prioris.

Eadem quoque iusta argumentandi ratione profligari potest 3) opinio eorum, qui restitutionem ciuilem cum praetoria confundunt, easque leges, quae de illa sanciunt, cum speciebus decisis ad restitutionem ex clausula generali referre, speciesque illas pro exemplis extensiuae ultra absentiam huius clausulae explicationis habere volunt q). Quo praeципue spectant casus illi notissimi *de rescindenda emtione venditione ob laefionem enormem ex l. 2. C. de resc. vend. emt. de rescissione sententiae ex falsis instrumentis latae ex l. 33. D. de re iudic. et de restitutione contra iusurandum legale praestitum ob instrumenta nouiter reperta ex l. 31. D. de iure iur. Vt vero haec opinio destruatur, non opus est longiori demonstratione; id vnicum addo, restitutionem ciuilem a restitutione praetoria multis modis differre, praefertim in eo, quod legis dispositione plane singulari nitatur, quod ratio, cur ea negotia quaedam rescinduntur, proprie in causa negotii intrinseca, laefionem producente, fundata sit, et quod tales rescissiones ab ipsis legibus accurate et limitibus singularibus sint circumscriptae r). Vti autem haec omnia clare demonstrant, tales restitutions pro specie restitutionis praetoriae nullatenus esse iudicandas, ita quoque ex his singularibus dispositionibus eo firmius concludi potest, restitutionem praetoriam ex clausula generali ab ipsis romani restrictiue fuisse applicatam. Quodsi enim ea ad alias laesio-*

q) COCCII in *Jur. Controv.* ad Tit. D. ex quibus caus. mai.

r) III. BIENER in cit. diff. C. I. p. 8.

laesiones, quae non ex absentia causam ducunt, applicanda vel actu applicata fuisset, tales singulares legum restitutions forent superfluae, vel certe autores harum legalium sanctionum mentionem fecissent clausulae praetoriae, neque his rescissionibus tam singularem extraordinariamque formam et qualitatem dedissent. At enim vero ex his aliisque, quae quoque opponi solent, legibus s), si vel leui examine inspiciantur, manifestum redditur, Imperatores semper extra ordinem, et in subsidium ob deficientem rationem restitutionis praetoriae consuetae applicandae, auxilium suum laesis fuisse largitos, neutiquam vero voluisse, ut his suis, sanctionibus

H 2

resti-

s) Sic inter alias quoque opponitur 1. 7. D. de rest. in integr. verbis: „Diuus Antoninus Marcio Aucto praetori de succurrendo ei, qui absens rem amiserat, in banc sententiam rescriptis: Etsi nihil facile mutandum est ex solemnis: tamen ubi aequitas euidens poscit, subueniendum est. Itaque si citatus non respondit, et ob hoc more pronunciatum est, confessim autem pro tribunali te sedente, adiit: existimari potest, non sua culpa, sed parum exaudita voce praeconis defuisse: ideoque rebitui potest. „ Argumentantur inde quidam ex verbis generalibus: ubi aequitas euidens poscit, subveniendum est, etiam hic extentionem clausulae locum obtinere. Manifestum vero est, rescriptum Imperatoris propter casum absentiae datum esse, atque hinc haec verba generaliorem explicationem non admittere. Praeterea quoque ex ipsa lege patet, Praetorem petuisse instructionem super concedenda restitutione in casu ipsius absentiae adeo, vnde apertum se nobis offert exemplum, quod romani ipsi clausulae generali nil minus quam extensiuam qualitatem adscripserint. Quare et hac lege argumenta mea confirmantur. Aliarum legum, quae vulgo adferri solent in contrarium, longum catalogum exhibere, superfluum foret: e. gr. §. 5. I. de bered. qual. et diff. §. 33. Inst. de ast. 1. 86. D. de acq. vel omitt. bered. cet. nam et ad has argumenta, in §. prolata, plane quadrant.



restitutioni praetoriae amplior addatur ambages <sup>t)</sup>, vel ultra suos limites determinatos inconcinna locum capiat extensio.

### §. XIX.

#### *Arg. IV. Ex comparatione restitutionis absentium cum reliquis causis determinatis.*

Quae hactenus a me proposita sunt, plenius confirmantur ex ipsa ratione restitutionis absentium erga alias restitutionis in integrum causas. Quodsi enim, quod IV.) probatio sensentiae meae inseruiens est argumentum, iusta instituatur comparatio reliquarum restitutionis causarum cum ea, quae absentibus et ex clausula generali competit, facile euinci potest, nexus harum causarum inter se ita se habere, ut in restitutione ex clausula generali pari ratione, sicut in reliquis causis determinatis, proprium et singulare lacionis alicuius fundamentum praestruendum sit, et nulla praeter id ad-

<sup>t)</sup> Quod ipsi Imperatores non solum in danda restitutione tali extraordinaria non fuerint nimis liberales, sed et quod eam ultra limites suos extendere noluerint, exinde etiam patet, quod, si de ea impetranda quaestio moueretur, rescriptis suis iudices admonuerint de obseruandis legibus et iuribus praescriptis. Probant id variae leges praesertim 1. 2. C. si adu. rem iudic. qua Imp. GORDIANVS cuidam SERENAE ita rescripsit: „Si cum pater tuus te in sua potestate esse, minimeque emanicipationem a se factam valere, diceret, proconsul super causa cognoscens te eius potestati subiectam pronunciauerit: cum aduersus eam sententiam in integrum restitui postules, is, qui prouinciam regit, in impertienda cognitione suas partes secundum leges exhibebit.“ Spectant huc quoque supra citatae 1. 7. de ref. in integr. 1. 3. C. ex quib. caus. mai.

admitti debeat extensio. Et cum iam, quod sufficienter demonstratum est, clausula generalis ad absentiam et laesiones inde emergentes se referat, consequitur hinc, eam ultra hanc causam non esse protendendam. Ut vero hoc clarius reddam, speciatim quasdam obseruationes, ad ipsam hanc relationem causarum restitutionis inter se proxime spectantes, addere lubet.

I. Si restitutionem minorum XXV annis conferamus cum ea, quam edictum cum clausula nostra maioribus quoque largitur, vtraque ita legibus determinata et distincta deprehenditur, ut pateat, vtramque quidem in eo conuenire, quod adesse debeat iusta laesionis causa, in ipsa determinatione huius causae vero vtramque manifesto differre. Cum enim quoad laesionem minorum respectus habeatur facilitatis et lubricitatis aetatis, latissima certe fuit horum restitutio, et Praetor ad omnia animaduertere debuit, quibus minor laesus fuisset, modo ille ex negotio non esset factus locupletior u). At vero restitutio maioribus concedenda, cessante apud hos ratione ex lubrica aetate petenda, tam ampla esse non poterat, et hinc ad causam specialem legibus determinatam, omni extensiōne, tanquam fundamento contraria, exclusa, ex natura rei adstricta esse debebat. Quod si hinc econtrario clausulae generali sensus amplior adscriberetur, eaque praeter casum absentiae de omnibus aliis laesionibus intelligeretur, manifesto consecuturum esset, vniuersam illam restitutionis maiorum et minorum differentiationem evanescere v), omnesque distinctiones et determina-

### H 3 tiones

u) I. I. et 2. C. si adu. credit;

v) Regeri quidem posse, eam tamen adhuc superesse differentiam in-



tiones legum nostrarum tolli et pro superfluis esse habendas. Quid enim, quaeso, opus fuisset singulari editio de minoribus, quid variis et multis illis dispositionibus, ad applicationem restitutionis minorum ipsam concernentibus, si omnes laesiones ad clausulam generalem, tanquam ad commune omnibus laesis remedium potuissent referri? At, profecto ex his apparet, nisi aperte vis inferatur legibus nostris, aliam quam restrictivam clausulae interpretationem non posse tolerari. Ut vel vnicum his addam exemplum, prouocare lumen ad quaestione illam a legibus <sup>w)</sup> solutam, an et quantum fideiussori minoris competat restitutio? Nonne leges adcurate limites circumscripterunt, sub quibus fideiussor maior huius beneficii particeps reddatur? Nonne vero superflua fuisset circumscripacio talis, si clausula praetoris nimis generaliter prospexit laesis, ad quam et fideiussor laesus confugiendi proximam viam et occasionem habuisset? Ut nihil dicam de alia, aequae accurata determinatione circa translationem restitutionis ad heredes, quae pariter inanis

~~restitutio~~ esset  
~~magis~~ minoribus lae*s*is  
restitutionem maiorum et minorum, quod in illa probari debeat a laeso defectus culpa vel negligentiae, cum quippe alias auxilium illi non sit tribendum, quea vero probatio in restitutione minorum cesseret. At haec non obstat iudico, cum haec differentia saltim concernat restitutionem in actu, ut ita loquar; exercito, non in se et primo actu, nempe probationem ab eo instituendam, qui laesionem reparare vult, quae facilior redditur minori ideo, quod propter aetatem facilius pro eo praesumendum.

<sup>w)</sup> I. 13. D. de minor. l. r. et 2. C. de fideiuss. min. Solicite in his legibus distinguuntur casus, in quibus fideiussor minoris ad restitutionem, quam minor solius aetatis respectu impetrat, quoque admitti possit, vel ab ea excludatur.

esset et otiosa, si clausulae generali tanta tribui posset virtus x).

Haec omnia II. magis adeo procedunt, si cum reliquis causis determinatis comparetur restitutio ex clausula generali. Certe Praetores et ICTi romanorum ingratam et vanam dedissent operam, dum illi editis suis causas *doli malitus* etc. speciatim proposuerunt, hi vero limitibus et distinctionibus multis iustum harum restitutionum ad species applicandarum modum determinarunt et illustrarunt; quam facilius enim fuisset, omnes has causas sub clausula generali comprehendere, speciesque occurrentes ad hanc referre, ex eaque explicare y). Quod vero hi iustum clausulae vim et mentem cognoverint et obseruarint, supra iam a me fuit demonstratum.

### §. XX.

x) 1. 18. 1. 19. D. de minor. 1. 2. C. Tit, de in integr. restit. 1. 2.  
1. 3. 1. 4. 1. 5. C. de temp. rest. in integr.

9) Dubium forte obmoueri posset ex conjectura nonnullorum, quae si vera esset, totum nostrum argumentum everteret. Credunt enim, actiones dolii et metus causa prorsus ex restitutionibus in integrum expellendas esse, quam quippe hae iure actionis modo concederentur, et in Codice prius de his remedius, quam de in integrum restitutionibus ageretur. SPOR TIA ODDVS in tr. de rest. in integr. quaest. 1. art. 16. At quam contorta et legibus ipsis contraria sit haec opinio, non opus est, ut demonstrem, cum tot tantaque habeamus ipsarum legum testimonia, ex quibus clare appetat, has species inter causas restitutionis referri, et semper relatas esse. Vberius has opiniones exposuit et profigauit. GVNDLING in lib. de efficientia vis ac metus. Halae 1711. Cap. 6.

*Arg. V. Ex historia restitutionis in integrum.*

Proxime cum priori arguento cohaeret aliud V) idque supra dicta euidentissime confirmans argumentum, quod nobis exhibet historia restitutionis in integrum et praesertim ordo chronologicus, quo variae praetorum de restitutione in integrum sanctiones se inuicem excipiunt. Non enim est, vt credamus, restitutionem in integrum ex capite absentiae et praesertim adiectam ei clausulam, ultimum inter reliquas species occupare locum, et, vt ita dicam, agmen claudere. Si hoc adsumi posset, profecto ii, qui de clausula nimis liberaliter sentiunt, magis possent gloriari, quum quippe tunc non sine specie contendi posset; Praetorem, postquam eius antecessores iam sensim sensimque causas restitutionis determinauissent, et semper ex nouis litibus nouam occasionem, alias causas admittendi, naucti fuissent, denique fastidio correptum rem vno edicto, vna clausula, absoluere, et in hanc omnes et quoscunque laesiones alicuius haud imputabilis casus referre voluisse. At haec imago evanescit, si in ipsa fata et vicissitudines restitutionum in integrum inquiramus, de qua re optime meritum se reddit saepius laudatus III. BIENERVS 2). Clare enim nos docet historia iuris restitutionum, ipsa edicta praetorum, restitutiones proponentia, non in eo ordine proposita et promulgata fuisse, quo ea in Pandectis in serie, quam Lib. IV. exhibit, occurunt, et praesertim, quod ad nostram clau-

2) In differt. saepius citata, in qua haec materia ex professo et argumentis firmissimis tam late quam eximie pertractatur,

fulam spectat, edictum una cum ea secundum ordinem chronologicum non in ultimum locum, sed statim post restitucionem minorum esse collocandum a). Rem breuissimis ita habe. Primo data est restitutio in integrum minoribus b)

cum

a) Ab aliis quibusdam jam facta fuit obseruatio, quod Praetor clausulam generalem non adhibuerit circa finem materiae restitutionis in integrum, sed solum in illa editi parte, vbi de causis absentiae agitur, eam protulerit. Et prouocant hi ad ordinem editi perpetui, quem IACOBVS GODOFREDVS in *Manuali Iuris* proposuit, vbi materiam restitutionis in integrum non claudit tractatio de restitutione maiorum, sed de alienatione iudicium mutandi causa facta. Sensit grauitatem huius argumenti BRUCKNERVS in Diff. cit. §. 5. p. 7. et §. 8. p. 17. camque refellere conatus est, an feliciter? ex ipsis argumentatione perspiciat. Ait enim: ordinem editi perpetui venire a Collectore editorum, non vero ab ipsis Praetoribus; licet igitur clausula generalis non appareat circa finem materiae restitutionis in integrum, quoniam tamen reperiatur in titulo, vbi non de certa speciali causa restitutionis in integrum sed in genere, ex quibus causis maiores in integrum restituuntur, tractetur, non tam stricte, sed generaliter explicandam esse clausulam generalem. At quam vaga sit, atque circulo in demonstrando funderetur haec argumentandi ratio, non est quod probaturus sim.

b) Tempus ipsum, quo datum est Edictum hoc spectans, et quis fuerit Praetor, cui illud debemus, certo determinari nequit. Nonnulli quidem ex loco TERENTII, quam ipse exhibui, probationem ducere volunt, at hic aperte de absentia loquitur. Antiquorem fuisse et priorem hanc restitutionem, tuto colligi potest ex iis legibus, quae de absentium restitutione disponunt, et ad restitutionem minorum se referunt. Aliud quoque argumentum pro antiquitate huius speciei restitutionis probanda deducit ILLI BIENERVS cit. Diff. C. 4. p. 16. ex inscriptione l. 47. D. de minor. ex qua pater, legem istam desumram esse ex Lib. I. responsorum ICTI SCAEVOLAE, et sane hoc argumentum fortissimum esset, si fons huius



cum *Lex Laetoria* quidem iam de his, sed non satis prospexit, et Praetor motus aequitate naturali, lege *Laetoria* non satis agnita, minoribus plenissime consulere voluit c). Secundo hanc fecuta est nostra species, restitutio ex capite *absentiae*, quae hinc sua origine et ordine reliquas praecedit. Ansam huic dederunt potissimum casus frequentes absentiae reipublicae causa; cum enim negotia reipublicae romanae in dies magis augerentur, atque eapropter ciues saepius in regiones diffitas migrare oportet, haec vero ipsorum absentia ipsis damno eo facilius reddi posset, quod tempus usucaptionis Legibus XII. Tab. statutum, admodum breve, facile praeterlabi, et talis lapsus absenti iacturam dominii iuriumque inferre posset; Praetor lapsis ob absentiam talem subuenire aequum duxit, hincque non solum reipublicae causa

legis tribui posset prisco illi Q. MUCIO SCAEVOLAE egregio ICto, qui sub libera republica floruit. Cum vero hic ICtus libros responsorum, quantum equidem scio, non scripserit, at vero alias CERBIDIVS SCAEVOLA, qui sub Imperatoribus vixit, responsa edidit, equidem hunc pro Auctore dispositionis in legem cit. relatae habere, maluerim; ubi vero argumentum ex omni parte firmum ex tali inscriptione deduci non posset. Maiori ratione, quod equidem credo, adduci possunt l. 42. et l. 45. D. ex quibus causis maiores. Interim quidquid sit, nou opus est ut ad talia argumenta refugiamus, cum aliunde antiquitas restitutionis minorum constet.

c) Et quidem, ut plenissime consulteretur, Praetor tutelam minorum in se recepit, l. I. D. de minor. de iure simul atque de facto cogniturus, ut ex voce animaduertam quam in l. cit. deprehendimus, appet: in ceteris autem restitutionum iudicis pedaneum iudicem de facto cognitum dabant. Quare hic nullam prodidit actionem, sed prout negotium exigere videretur, minori pollicebatur auxilium l. 24. §. vit. D. de minor. conf. III. BIENER l. c. p. 16.

causa absentibus sed et iis, qui his aequiparari poterant, restitutio in integrum fuit promissa. Auctorem Edicti, quo haec causa determinata fuit, supra indicaui, et ipsum editum sub libera republica propositum fuisse, patet ex loco quodam TERENTII d) qui eius tanquam recepti iuris mentionem facit. Tertio subsecuta est restitutio ex capite *metus*, cuius auctor fuit Praetor L. OCTAVIVS, qui CICERONI aequalis erat e). Quarto data est paulo post restitutio in integrum propter causam *doli mali* editio AQVILII GALLI f), qui pariter CICERONI coaetaneus fuit, quin

I 2

et

d) TERENTIVS in *Phormione* Act. II. Sc. IV. v. 9. Demophon, cuius filius in absentia sua contraxerat nuptias, consulenti aduocatum respondentem his verbis adfert.

*„Mibi*

„Sic hoc videtur: quod te absente hic filius  
„Egit, restitui in integrum aequum est et bonum.  
„Et id impetrabis.

Expicationem huius loci, in quo quidam haesitarunt, habet III. BIENER I. c. Cap. 5. p. 22.

e) Formula ipsa, qua Praetor de hac restitutione edicebat: *quod vi metusque causa gestum erit, ratum non babebo, a CICERONE Verrin.* III. 65. appellatur formula *Ottaviana*. Quod contra eos regeri potest, qui alium huius editii auctorem, CASSIVM quandam, perhibent NOODT de forma emend. dol. SCHVLTING in protis Pand. ad tit. *quod metus causa*. Conf. III. BIENER I. c. C. 6. p. 29. et 30.

f) Iniquitatem juris antiquioris correxit AQVILIVS GALLVS formula: *Quae dolo malo facta esse dicentur, si de his rebus alia actio non erit, et iusta causa esse videbitur, iudicium dabo.* Dedit editum a. u. 688. Saepius eius mentionem facit, et praesertim eum laudat, quod nunquam iuris ciuiliis rationem ab aequitate seinxerit, CICERO *Topic.* 7. pro *Caecin* 27. de offic. III. 14. conf. quoque PAVLVS Rec. Sent. L. 10. T. 8. 1. 1. D. de *dolo mal.*



et familiaris et in Praetura collega. Quando vero et quo  
ordine reliquae restitutionum causae inuentae et determina-  
tae fuerint, certo non constat g); atque huic rei longius  
immorari a scopo praesentis opusculi alienum esset. Suffi-  
cit, demonstratum esse, restitutionem ex capite absentiae  
non fuisse postremam, sed ordine suo inter priores de re-  
stitutione sanctiones esse numerandam; exinde enim clare  
consequitur, generalem et extensiuam interpretationem ve-  
rae clausulae praetoriae indoli summopere esse aduersatu-  
ram.

### §. XXI.

#### *Arg. VI. Ex limitibus officii Praetoris.*

Adiungi debet argumentis haec tenus prolati VI. quo-  
que ratio ex officio Praetoris eiusque limitibus sponte se  
offerens. Quodsi enim clausulae praetoris referuatoriae tan-  
ta adscriberetur vis, quanta ex opinione dissentientium ad-  
sumenda

g) Edicto, quod de restitutione ob iustum errorem agit, multa deesse  
verba, supra iam dictum est, atque vel ob hanc rationem nihil certi de  
eius origine proferri potest. Quod vero in specie ad restitutionem pro-  
pter alienationem iudicij mutandi causa factam attinet, notandum adhuc  
est, dissentientes esse ipsos ICTOS Rom. quoad originem huius Edicti.  
**VLPIANVS** nempe in 1. 4. §. I. D. de alien. iud. mut. cauf. Praetori tri-  
buit edictum; **CAIVS** vero in 1. 1. et 1. 3. §. 4. D. eod. Proconsuli.  
Quae tamen conciliari possunt, dum facile admitti possit, quod Praetor  
in urbano, Proconsul in prouinciali, edicto eandem restitutionem propo-  
fuerit. Ceterum in vera origine huius Edicti eruenda occupatus fuit  
**SCHOEN** de poena legis **LICINIAE** ex l. vlt. D. de alien. iud. mut. **LIPS.**  
1771. qui SC. **LICINIANVM** pro hac lege agnoscit. Conf. praecipue  
ad totam hanc materiam III. **BIENER** l. c. C. 8. 9. 10. p. 40, sqq.

sumenda esset, profecto statuendum foret, arbitrium Praetorum fuisse plane illimitatum, eorumque in iure moderando adiuuando et corrigendo potestatem immensam. Ita vero eam neque sub libera republica, neque sub Imperatoribus comparatam fuisse, extra omne dubium ponit historia iuris et iurisprudentiae romanorum. In genere enim afferi potest, arbitrium praetorum et iudicium non fuisse liberrimum. Leges quippe in republica romana eo tendebant, ne iuris et iustitiae administratio ab arbitrio magistratum dependeret, ne casus pro amicis vel ex odio statuerentur, et ne sub praetextu quodam aequitatis fucatae leges et principia iuris euerterentur. Et quamuis praetoribus facultas data esset, rigorem iuris nimis strictum moderandi, quippe quae permisso iis praeferunt temporibus, quo status iuris et iurisprudentiae apud romanos parum ordinatus, atque strictis nimium principiis formulisque circumscriptus erat, optimo fini inservuit; tamen haec eorum facultas non erat liberrima. Probatur hoc innumeris documentis, et perpendantur modo tum ipsa ratio, qua Praetores edicere solebant et debebant, tum ipsae variae leges, quae edictorum praetoriorum causa latae sunt, Praetoresque ad iustos limites officii reuocant *b)*. Et quamuis concedi debeat, fuisse quoque inter Praetores, qui facultate sua abusi sunt, tamen etiam non defunt exempla, quod ii deinde accusationibus et poenis obnoxii redderentur *i)*. Quae omnia longius enumerare, et argumentis confirmare superfluum fo-

I 3

ret

*b) I. I. D. quod quisque iur. in alt. stat.*

*i) DIO CASSIUS Lib. 36. et 37. Val. Max. L. 7. C. 7. exemplo 7.  
CICERO in Verrem I, 41, 42, 45, 46.*



ret k). Quod vero in specie ad Praetorum in concedenda restituzione in integrum potestatem attinet, ex ipsa ratione et serie edictorum, qua de re in prioribus egi, manifesto colligi potest, huius respectu Praetorum facultatem nil minus quam illimitatam fuisse. Cur enim opus habuissent Praetores specialibus edictis et speciali determinatione causarum restitutionis, si eam pro lubitu, et prouti ipsis aequum visum esset, potentibus dare potuissent? Cur legibus ipsis Praetores in concedenda restituzione admoniti fuissent, ut iuris rationem habeant, ut causae cognitionem solcite instituant, atque in causam et qualitatem laefionis inquirere debeant l)? Cur ipsis illius aequitatis, proprii restitutio- nis fundamenti, aestimatio non mero arbitrio praetorum relinquitur, sed semper ita praefruitur, ut euident et vera aequitas ab imaginaria et fucata solcite distinguatur m)? Superflua quoque fuissent tot illa alia remedia praetoria, ad rescissionem actus alicuius tendentia, quot in iure ha- bemus, cum scilicet Praetores facili negotio etiam talia re- media in clausulam generalem referre et ex hac actiones dare potuif-

k) Plura videantur apud HEINECCIVM in *historia Iuris* cum notis RITTERI Lib. I. Cap. 2. §. 68. seqq.

l) 1. 3. et 4. D. de restit. in integr.

m) Ait quidem PAVLVS in 1. 5. D. de restit. in integr. Nemo vide- tur exclusus, quem Praetor in integrum se restituturum pollicetur. At haec generalia verba non indigitare liberum praetoris in restituendo ar- bitrium, ex ipsa huius legis cum prioribus artis connexione manifestum est. De aequitate euidente supra iam citau 1. 7. d. t. Sic IVSTINIA- NVS in singulari casu restitutioonis, quem §. 33. Inst. de act. relatum inuenimus, ait: *Sane si tam magna causa iusti erroris interueniebat, ut etiam constantissimus quisque labi posset.*

potuissent, si haec tantam habuisset ambagem. Addi his potest etiam id, quod ipsum remedium restitutionis in se iustissimum quidem praedicent, attamen simul caute adhibendum esse, indigitent leges; et id ipsum quoque, quod supra retuli, quod scilicet sub Imperatoribus ipsis, quamdiu potestas Praetorum restituendi adhuc perdurauit, causae grauiores restitutionis ad ipsos Imperatores deferrentur, et ab his auxilium extraordinarium peteretur n): quo clare eluiscit, haud illimitatum, sed ad causas determinatas adstrictum fuisse Praetoris in restituendo arbitrium. Et clarius ex his quoque respectu ad nostram clausulam redditur, argumentum haec tenus defensum, scilicet: Praetorem nec voluisse nec potuisse illi sensum plane generalem tribuere o), aut

n) Praeter leges sapius allegatas hoc referenda in primis 1. 9. §. vlt: et 1. 10. D. de Minor. ex quibus patet: non adeo omnes restitutionis minorum causas, licet ea inter omnes fuit amplissima, ad officium Praetoris pertinuisse, et ab huius concessione dependisse, sed interdum Imperatoris cognitioni et permissioni fuisse remittendas. Verba legum sunt, postquam de admittenda restitutione in casibus delicti, diuortii, feruiritatis, confiscacionis, quaesito ventilata er decisa fuit: „Aduersus libertatem quoque minori a Praetore subueniri impossibile est. Niſi ex magna causa hoc a Principe fuerit consecutus.„ Conf. cum his tot. tit. C. si aduers. libert.

o) Licer de hac materia supra fati a me actum sit, tamen non possum non maioris illustrationis gratia adhuc transcribere, quae de hoc Praetorum circa restitutionem in integrum arbitrio egregie protulit FABER in Rational. ad Pand. ad 1. 26. §. 9. ex quib. caus. mai. monens; boni praetoris officium esse prouidere, quantum possit, vt litium materiam imminuat 1. 21. D. de reb. cred. ergo debuisse specialiter enumerare causas omnes, quibus poterat euenire, vt aequum esset dari restitutionem, aut



aut ea quidquam sibi reseruare ultra causas determinatas,  
in specie ultra absentiae causam.

### §. XXII.

#### *Arg. VII. Ex ipsa nimiae clausulae Praetoriae extensionis inconuenientia.*

Quamuis hucusque ex ipsa mente legum, et ex aliis analogicis argumentis demonstrata sit stricta clausulae praetoriae natura, pro superuacaneo et inutili tamen non erit habendum, fin et VII. ex naturalibus rationibus ostendere studeam, quod extensio clausulae praetoriae ultra absentiae causam sit inconcinna et principiis iuris contraria. Quae in prioribus dicta sunt, de sola ratione evidentis aequitatis quoad applicationem restitutionis ex clausula generali ad casus in edicto non nominatos, etiam hic sunt repetenda. Ipsa haec aequitas, ad quam attentendum est, non in genere et illimitate intelligi debet, sed in relatione ad ipsam indolem edicti, quod clausulam nostram annexam habet; et omnia hinc ita sunt capienda, ut aequum sit, restitutionem concedere tum etiam iis absentibus laesis, quorum absen-

tia

aut saltim illos, qui frequentius solent conringere, non autem huiusmodi clausulae generali subiictere, quae, quoniā non ad iuris rationem refertur, aut ad quippiam aliud certum, sed tantum ad aequitatem, quam sibi quisque facile pro arbitrio singit, ingentem litium occasionem praebere potest, vnoquoque ex iis, qui restitutionem petunt, ex hac clausula contendente, iustum subesse causam, propter quam debeat restitutio indulgeri, tametsi nulla allegetur ex iis, quae hoc edicto expresse sunt, nec quae aliquam cum iis similitudinem habeat etc.

tia haud culpanda reliquis in edicto relatis absentiae capitis similis queat iudicari, tum iis, qui ex fictione iuris pro absentibus haberit possint. Quodsi vero aequitas superstructa in alio et ampliori sensu sumeretur, vti nonnulli contendere voluerunt p), certe maxime inde oriunda esset disconuenientia. Facilis enim daretur occasio, sub specie aequitatis cuiuslibet cerebrinae omnia negotia impugnandi, ius quae situm alterius et legum sanctiones interuertendi; et facile iudex iuiustus inuenturus esset rationes, quarum praextenu, quasi iustae et euidentes sibi fuerint visae, ex amicitia vel ex odio pro lubitu statuere, et quaevis negotia valida rescindere posset. Hac ratione vero nullum negotium in toto iure ciuili foret ita ut validum quo q) quid quod, si talia tolerentur, eodem fundamento et pari ratione in eadem causa restitutio in integrum ab hoc et ab illo peti et impenetrari posset. Quid enim obstat, si is, contra quem aduersarius ex laesione praetensta restitutionem obtinuit, pariter ob laesionem ex hac restitutione sibi illatam aqueam peteret; Forentne huic ea, si prius ex sola aequitate aliqua speciosa admissa fuisset, iusta ratione deneganda? Incommoda et peruersas consequentias ex nimia clausulæ nostræ extensione sponte profluentes senserunt multi inter ipsos

p) BRUCKNER in diff. cit. §. 7. et 16. ubi definitionem ARISTOTELIS, quam GROTIUS quoque adoptauit, de acuitate, quod scilicet sit correctio eius in quo lex deficit ob universalitatem, ad clausulam nostram sed posthabita iusta limitatione applicare studeat.

q) Idem argumentum quoque proponunt DOMPIERRE DE JONQUIERES in cit. Spec. et Ill, BIEBER in Diff. cit. C. 5. p. 25.

ipos huius extensionis patronos, et sincere fatentur, Doctores abusos esse arbitrio; quod circa hanc clausulam liberalius adsumitur, illudque conuertisse non modo in cerebri-nam cuiusque aequitatem, verum etiam aduersus ea, quae legibus et constitutionibus disposita sunt, extendisse <sup>r).</sup> Nihilominus tamen plurimi periculosem hanc aequitatis omnimodaem ad clausulam praetoriam applicationem defendere malunt <sup>s),</sup> quam ut a sua sententia semel recepta recedant, et illi sensum strictiorem adscribere volunt, moti praefer-tim quibusdam legibus, de aequitatis vsu nimis generaliter loquentibus. Ex his quasdam saltem adferre lubet e. g. l. 12. et 13. D. de Legibus, vbi disponitur „Non possunt omnes articuli figuratum aut Legibus aut SCtis comprehendendi, sed cum in aliqua causa sententia eorum manifesta est, is, qui iuris-dictioni praest, ad similia procedere atque ita ius dicere debet. Nam, ut ait Pedius, quotiens lege aliquid, unum vel alterum introductum est, bona occasio est, caetera, quae tendunt ad eandem utilitatem, vel interpretatione vel certe iurisdictione supple-ri.“ Sic et in l. 90. D. de reg. iur. thesis profertur: „In omnibus quidem, maxime tamen in iure spectanda aequitas est.“ At enim uero, quidquid etiam ex his locis communibus in-

deca-

<sup>r)</sup> FRANZIUS in Comment. ad Tit. D. ex quib. caus. mai. WES-SENBECK in Paratitl. ad eund. tit. §. 10.

<sup>s)</sup> ZEDESIVS in Comment. ad Dig. eod. cit. tit. n. 4. MEVIVE P. 5. Dec. 5. STRYCK in Vf. Mod. Pand. L. IV. T. 6. §. 3. 6. SCHAVMBVRG in Comp. Pand. L. IV. T. 6. §. 4. 5. HELLEFELD in Iurispr. for. §. 47<sup>o</sup>. CYPR. REGNERVS in Disp. X. ad leges Pand. diffic. th. 26. BEYER in Delin. Iur. ciu. ad Lib. IV. Tit. 6. Posit. 9. seq.

ducatur; tamen certum est, iis probari non posse, quod ipsae leges omni etiam imaginariae aequitati amplum concedere locum, et per eam, firma iuris principia euertendi, ansam dare voluerint. Facili enim negotio aequae aliae leges adferri possent, quibus principia continentur, quae illas dispositiones penitus iterum destruunt. Sic enim l. 91. §. 3. de Verb. oblig. haec profert: *Esse enim hanc quaestione de bono et aequo: in quo genere plerunque sub auctoritate iuris scientiae pernicise erratur.* Et si hi loci communes accurate inquirantur, certe non est metuendum, quod nostrae thesi aduersentur, econtrario contendи potest, iis eam confirmari. Namque all. l. 12. et 13. D. de Leg. aperte loquuntur de interpretatione legum, et de applicatione ad casus similes in lege vero non expressos. Perspicitur inde, hanc dispositionem ad clausulam nostram facile adaptandam esse, eamque simul meam expicationem, quod sc. ea ad alias iustas absentiae causas, non vero ad omnes ex alio quam absentiae impedimento contingentes laesionis casus applicari debeat, viterius corroborare.

### §. XXIII.

#### *Continuatio prioris.*

Ceterum, quamuis negari nequeat, quod ipsa ratio inter aequitatem et ius certum sit dubia, et haud facile determinanda; tamen hoc certum est, ipsam preferentiam aequitatis prae rigore iuris non aliter admittendam esse, nisi habito respectu ad totum sistema principiorum iuris scripti, et ad ea, quae principiis iuris naturalis genuinis consentanea sunt. Quodsi enim hic respectus in collisione

K 2

aliqua



aliqua inter sanctiones iuris et aequitatem forte speciosam occurrente negligitur, nihil tam iniquum et absurdum erit, quod non in speciem aliquam reduci et defendi posset, atque adeo in causis iniustis facilis dabitur occasio excogitandi rationes, ex quibus auxilium iudicis in partes trahi, vel velamine aliquo obtagi poterit; atque profecto aequitas illa laudata penes hunc vel illum iudicem erit instar gladii, quem in manibus tenet infans *t).* Dantur vero et heic quaedam, quae adferri solent ab iis, qui propter aequitatis rationem clausulam praetoris generalem ad omnes laesioris causas extendere volunt, dum remedia quaedam proponunt, quibus contra restitutionem in integrum iniuste et ex imaginaria aequitate concessiam medela adferri queant. Non nulli enim autumant, eo in casu, quando inferior iudex abusus sit suo arbitrio, recursum ad superiorem, per appellationem querendum, non esse exclusum, dum eo iniquitas prioris sententiae facile corrigi possit; atque praeterea nullum in se adesse graue periculum, quoniam iniusti iudices etiam aliis claris et saluberrimis legibus abuti possent *u).* At quam leuis et refutatione plane indignus sit talis argumen-

*t)* Egregie Celeber. SCHLOSSER in libro, cui titulus: *Politische Fragmente*; de aequitate ita distinet: Billigkeit ist Tugend des Privatmanns, oft Tugend des Richters, immer Schwachheit des Gesetzgebers. — Billigkeit wird aus unendlichen Bestimmungen abgezogen, der Gesetzgeber darf ewig bestimmen. — Heute that Billigkeit mir wohl; morgen macht sie alle meine Rechte unsicher. — Das Recht sey eine Mauer. Wer daran stößt, zerstömetere; wer darauf wohnt, wohne gut. Billigkeit machts zum Sandbügel; jeder Wurm kann durch, über es wohnt sich übel darauf.

*u)* BRUCKNER in Diff. cit. §. 19. p. 34.

71

mentandi modus, non est quod demonstrem. Ut nihil dicam de eo, quod illud argumentum solos iudices inferiores tangat, cum tamen et superiores iudices potestate restituendi abuti queant, si ea nimis extensio ex clausula generali deducatur. Atque profecto huc quadrat egregium illud ab ipsa lege propositum v): *melius esse iura intacta servare, quam iis vulneratis remedium quaerere, remedium, ut addam, saepius dubium et difficile.* Eadem quoque regeri possunt alii quorundam sententiae w), qui iis in casibus, vbi de applicatione restitutionis in integrum ex clausula nostra quaestio ventilatur, acta ad impartiales transmittenda esse fundone. *Esdem* maxima profecto sunt haec omnia. Quid enim opus est ambagibus, si leges ipsae, modo ex genuino suo sensu aestimentur et debito respectu adplacentur, iudicis officio limites ponunt condignos.

K 3 §. XXIV.

w) 1. 5. C. in quib. caus. in int. rest. non est necesse.

w) Talia suadet BRUCKNER in cit. diff. §. 19. p. 35. et simul ponit, in rebus maioris momenti consilii esse, ut duo aut plura aedantur Collegia iuridica, a quibus rogarentur rationes decidendi, ita tamen, ut prius iudices et partes iurarent, in hac causa clam non consulta fuisse illa Iuris Collegia. At talia refellere inanis et ingratius esset labor. Magis arrident consilia eorum, qui causas, in quibus restitutio in integrum praster absentiae casum concedenda sit, non iudici sed principi proferendas atque ab eo auxilium imperandum esse aiunt; haec enim ab iis, quae de causis restitutionis extraordinarie ipsis legibus romanis per Imperatores determinatis supra retuli, non adeo aliena sunt. Conf. TITIVS in obseru. ad Comp. Iur. LAVTERBACHII obs. 125. a STRYCK in Diff. de praescript. conuentionali ad l. AEMILIUS 38. de Minor. Cap. 6. n. 8.

§. XXIV.

*Arg. VIII. Ex clausula finali clausulae praetoriae subiunctia.*

Adposuit Praetor, quam supra retuli (§. V.) clausulae suae in fine limitationem: *restituam, quod eius per leges, plebiscita, senatusconsilia, edicta, decreta Principum licebit.* Ex hac a Praetore annexa restrictione, quod VIII. ultimum sit ex argumentis meis, colligendum esse puto, Praetorem optime explicuisse, quod suo de restitutione ex capite absentiae editio sensus nimis generalis haud sit tribuendus. Alia enim, nisi me omnia fallunt, huic limitationi mens adscribi nequit; et praecipue verba: *quod eius per edicta licebit*, clare indigitant, non solum normas in ipsis editis propositas stricte seruandas esse, sed et Praetorem, sibi ipsi iustum metam ponentem, abscondere voluisse omnes restitutionis missae inconcinnas extensiones, quae forte a postulantibus occasione clausulae generalis potuissent excogitari. Sine ratione enim profecto finalis haec clausula editio non fuit adiecta, et neutquam adsumi potest, Praetorem quasi in fugam vacui omnia talia adposuisse, quod tamen statuendum esset, si illis nulla attribueretur virtus. Caeterum non ignoro, diuersimode hanc clausulam finalem a non-nullis fuisse expositam. Alii enim verba, *quod per leges licebit*, generaliter plane sumere volunt, et ita omnia et quaelibet negotia a legibus villo modo determinata ab officio Praetoris circa restitutionem eximunt. Obiciunt enim: dari non solum expressas, sed et tacitas legum prohibitions, quoties sc. leges aliquid determinauerint: Et hoc rese-  
renda



renda esse omnia negotia, quae a legibus valida iudicantur; eo ipso enim, dum a legibus sint determinata, tacite prohiberi, ne tollantur; et sic Praetorem, restitutionem concedendo contra tale negotium, aduersus prohibitionem iuris civilis esse auctum x). At quam aliena haec sint a vera clausulae finalis mente, facile appetat. Ista enim ratione etiam in ipsis causis restitutionis determinatis rarissime locum caperet remedium hocce, cum tot et tanta sint negotia in ipsis legibus determinata. Sic enim omnia pacta, secundum formam a lege praescriptam conuenta, obligatoria et valida a legibus habentur. Quis autem exinde argumentari vellet, ideo nullum pactum per restitutionem in integrum posse rescindī? Alii, lubricum huius obiectionis sentientes, rem ita explicant: Praetorem clausula generali restitutionem promisisse in omnibus iis casibus, in quibus leges rescissio- nem actus alicuius validi non prohibuerint. Et hi certe veram clausulae finalis mentem magis tangunt y). Evidem autem credo, rem ita capiendam esse: Praetorem respe- xisse simul ad ipsas causas restitutionis, in edictum suum quadrantes qua tales, et sensum eius adiciendo hanc clausulam tamē fuisse; dandam esse restitutionem praeter causas in edicto nominatas etiam in iis causis *absentiae* iustis et probabilibus, in quibus leges non expresse prohibeant re-stitutionem. Atque hanc meam opinionem confirmant variae leges in ipsa hac materia occurrentes, quibus casus absentiae tam verae quam fictae solitare distinctae sunt. Sic milites

x) Conf. BRUCKNER in cit. Diff. §. 16. p. 25.

y) HUBER in Praelect. ad Pand. L. 4. T. 6. §. 5. LAVTERBACH in Coll. th. pr. L. 4. T. 6. §. 7. BRUCKNER l. c.

■ ■ ■ ■ ■

milites pro absentibus habendi sunt, pro talibus autem non  
habentur magistratus Romae operam dantes *a*). Sic Patro-  
nus fisci pro reipublicae causa absente habetur, non autem  
Notarius, qui *aeta* Praesidum scribit *a*). Sic legatus rei-  
publicae causa restitutione fruitur, non autem is, qui sui  
commodi causa in legatione est *b*). Ipsa quoque interpre-  
tatio huius clausulae finalis ab **VLPIANO** in l. 28. §. 2. d. t.  
proposita hanc meam explicationem confirmat verbis:  
*„Quod eius, inquit praetor, per leges, plebiscita, senatuscon-  
sulta, edita, decreta principum, licebit, quae clausula non illud  
pollicetur, restituturum, si leges permittant: sed, si leges non  
probibeant.“* Constat enim *on* *cetero* contextu, **VLPIANVM**  
loqui de casibus absentiae; tota quippe lex haec solos ab-  
sentiae casus tractat, et ipsa haec interpretatio inter distinc-  
tiones de variis absentiae casibus in medio posita est.  
Quae autem supra de altera totius clausulae interpreta-  
tione ipsius eiusdem **VLPIANI** demonstrauit, repete super-  
fluum foret. Etenim quod alias clausulae huic finali sensus  
tribui queat, etiam ideo non credo, quod alias ea inter  
superflua locutiones esset referenda. Si enim Praetor illa  
dicere voluisse, se non esse restituturum generaliter in  
omnibus casibus, quoties legis prohibitio obstaret, certe  
tali solenni protestatione opus non habuisset, cum tanta  
non fuit auctoritas praetorum, ut contra claras legum pro-  
hibitiones pro lubitu remedium dare potuisset. Quod reli-  
quum est, non nego, hanc limitationem a Praetore clausu-

lae

*a) l. 5. 6. 7. D. ex quib. caus. mai.*

*a) l. 32. l. 33. D. cit. tit.*

*b) l. 42. D. cit. tit.*

iae adiectam etiam ad alias restitutio*nis* causas, in reliquis edictis determinatas, analogica ratione adplicandam esse c). Denique breuissimis adhuc moneo, verba huius clausulae: decretis principum, dubium nonnullis mouisse, quod forte clausula generalis praetoria demum sub Imperatoribus fuerit proposita. At verba ista posteriori tempore clausulae interspersa et annexa fuisse, sine formidine contendi potest d), atque sic ea, quae superius de origine clausulae protuli, salua manent et inconcussa.

## §. XXV.

c) Hac ratione *concessio*n*is* eorum, qui clausulam laudatam ad alias quaque restitutio*n*es adplicant, quatenus leges eam non reiiciunt, etiam meum adsensum adficere possum. Sic restitutio ex capite metu non est concedenda ei, qui vano metu, reverentiali etc. laetus est l. 6. D. quod met. caus. arg. l. 2. §. 1. et l. 3. D. ex quib. caus. mai. HVBER l. c. Sic et restitutio non admittenda contra prae*scriptio*n*em* iustam impletam, propter prohibitionem legis; l. 3. et 4. C. de *praef*icit*io*n***. 30 vel 40 ann. l. vlt. C. de *praef*icit*io*n*** long. temp. quamuis super hac quaestione admodum magna ventiletur inter Doctores controv*ersia*, vid. FACHINAEVS in Controu. Iur. L. I. C. 69. WUNDERLICH R. HIMESCH in Diff. supr. citata.**

d) A quonam vero haec verba infecta fuerint, an ab ipso VLPIANO, an a TRIBONIANO, an ab alio, non satis expeditum est? TRIBONIANO eiusue collegis adscribendam esse hanc interpolationem coniici posset cum nonnullis, BRUCKNER in Diff. cit. §. 6. p. 8. Verosimilior tamen illi videatur eorum opinio, qui adserunt, formulam hanc plene a SALVIO IULIANO esse compositam, cui facultas ab Imperatore data erat in edicto perpetuo componendo, qua is etiam ita potissimum usus est, ut antiqua Praetorum edicta starui monarchico magis apta rediderentur. III. BIENER in diff. cit. c. 8. p. 16. Ceterum dubium, quod vulgo moueri solet, vid. BRUCKNER l. c. quod scil. interpolations in verbis edictorum non temere sint praesumendas, facile euaneſcit, eum supra clare probatum fuerit, edictum ipsum sub libera republica a

L

Prae-

## §. XXV.

## Conclusio.

Atque ita ad colophonem deduxi meditationes meas de vero clausulae praetoriae sensu. Plures alias iis addere obseruationes, nec temporis nec instituti rationes permittunt. Animo quidem mecum constitueram, non solum ad materiam de restitutione, quae fit breui manu, et de remedio restitutionis in iudicis passim visitato, quaedam commentari, sed et simul causas quosdam potiores, in quibus pragmatici restitutionem in integrum liberaliter admittunt, egr. restitutionem pauperum, rusticorum, aliasque huius generis in foro quotidie occurrentes, et a multis Ictis probatas causas, sub examen vocare. Cum vero hoc meum opusculum in nimiam iam excreuerit longitudinem, vltiorerem hunc laborem alio tempore forte proponam. Ceterum aequos huius rei arbitros rogo, vt Specimen hoc qualcunque aequi bonique consulant; et si forte meae conjecturae non omnibus placeant, nihil magis opto, quam ut aberranti mihi ab eruditis veritas et recta via monstretur; ad descendum meliusque me informandum sum et semper ero promptissimus.

Praetore PUBLICO fuisse editum; et hinc verba, illa: *decreta Principum*, quippe tum temporis plane incognita, nullam aliam, nisi posita interpolatione sequioribus temporibus facta, admittunt explicationem.

## ERRATA.

In Dedicat. pag. 3. lin. 3. loco *reconnaissance lege reconnaissance*.

Pag. 21. §. IX. lin. 14. loco *fuerint lege fuerit*.

ULB Halle  
004 064 399



3


TA-FL

YD18





B.I.G.



O INAVGVRALIS IVRIDICA  
DE  
IONE IN INTEGRVM  
PRAETORIS GENERALI VLTRA  
ENTIAE NON EXTENDENDA

S E C T. II.

QVAM  
MI NVMINIS AVSPICIIS  
FRIDERICO-ALEXANDRINAE  
E MAGNIFICENTISSIMO  
SIMO PRINCIPE AC DOMINO

OM I N O  
ANO FRIDERICO  
O ALEXANDRO

BRANDENBURGICO BORVSSIAE  
E REL. BVRGGRAVIO NORIMBERGENSI  
VE PRINCIPATVS REL. REL.

V C T O R I T A T E  
RECONSVLTORVM ORDINIS  
PRO  
TATE LEGENDI

DEFENDET

PHILIPPVS FRANCK

I. V. D.

RESPONDENTE

RESTOPHI. BVTINERO  
ONOLDINO.

SEPT. M D C C LXXXV.

ER LANGAE  
ANNO ELLRODTIANO.

1785-26